



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Innocentii Papae VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

CLEMENS TOLETANVM. CAROLVS IV. IMP.  
P. VI. ALPHONSVS XI. R. CASTELLE. 135

ANNO CHRISTI  
1347 cancellaria, & vnum marabetinus pro regesto, &  
non amplius recipi vlo modo. Qui vero contra-  
rium fecerit, mille marabetinorum poenam incur-  
rat, diuidendam & ampliandam, vt superius est  
præmissum.

Datum apud Alcalam Toletanæ dioecesis, die vigesima  
quarta mensis Aprilis, qua die dictum Concilium extitit  
terminatum, sub anno Domini millesimo trecentesimo  
quadragesimo septimo, sub sigilli nostri impressione in  
testimonium præmissorum, præsentibus venerabilibus  
in Christo fratribus nostris Blasio Dei gratia Palentinen-  
si, & Garsia Conchenzi, & Ioanne Giennensi, episcopis  
suffraganeis nostris, & capituli Toletani & aliorum suf-  
fraganeorum nostrorum & capitulorum ipsorum procu-  
ratoribus, qui præmissis omnibus & singulis suum præsti-  
terunt consilium pariter & assensum.

VITA  
INNOCENTII PAPÆ VI.

INNOCENTIVS VI. ait Trithemius, natione Lemouicen-  
sis, vir bonus & amator religiosorum, & canonista ma-  
ximus, qui Carolum imperatorem postea coronauit, suc-  
cessit Clementi decimosexto Kalendas Decembris anni  
1352. tempore Caroli IV. imperatoris, Stephanus antea  
vocatus, ex episcopo Claromontano & cardinali pon-  
tificatum adeptus, multas reformationes per prædecesso-  
res suos illatas abrogauit. Prælatis & beneficiatis, vt in  
suis locis residerent, iniunxit: impensas aulæ suæ fami-  
liamque imminuit. Domi suæ non alios viros quam pe-  
ritissimos alere voluit, idemque cardinalibus ut facerent  
præcepit. Palatii auditoribus stipendia constituit, ne se  
præmiis corrumpi paterentur. In Italiam misit Ægidium  
Hispanum cardinalem, qui rebus Italiciis sua præsentia ma-  
gnum adiumentum attulit. Interea temporis quo Franci-  
scus Baroncellus senatoriam dignitatem Romæ sibi vsur-  
pauerat, pontifex Nicolaum Rentii e carceribus edu-  
ctum libertate donauit, vt altero alteri opposito, inter se

136 INNOCENTIVS P. VI. CONCILIVM CAROLVS IV. IMP.  
PETRV斯 CRVDELIS R. CASTELLÆ.

contenderent, donec sibiipsis perniciem atque interitum inferrent. Tumultibus autem & dissensionibus inualescentibus, regem Cypri senatorem a se factum eodem misit, vt quosdam qui se reipublicæ reformatores vocabant, opprimeret. Cum vero pacem inter Gallos & Anglos omnibus neruis in vanum componere studebat, mortem oppetiit pridie Idus Septembris, anno 1362. cum sedisset annis nouem, mensibus octo, diebus sex. Vir fuit iuris ciuilis & canonici peritissimus, sinceræ vitæ & magnæ constantiæ: beneficia nullis nisi sufficienter doctis contulit. Huius temporibus, inquit Silvius, Ioannes Vviclefus hæresiarcha, quia non potuit consequi episcopatum Vigoriensem, in Anglia sua dogmata euomere cœpit, & composuit plusquam ducenta volumina librorum, quibus præter suos, Marcionis & Manichæorum errores immiscebatur.

CONCILIVM TOLETANVM  
AVCTORITATE BLASII ARCHIEPISCOPI  
celebratum anno Domini M C C L V.  
tempore Innocentii papæ VI.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. *Quod transgressiones constitutio-  
tionum prouincialium non ad  
culpam, sed ad pœnam tantum*      II. *De constitutionibus Ioannis  
obligent transgressores.  
legati apostolice sedis.*

P R A E F A T I O.

**P**ATEAT vniuersis, quod nos Blasius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas ac regni Castellæ cancellarius, in Concilio per nos apud Toletum die prima mensis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto celebrato, qua prædictum Concilium extitit terminatum, procuratoribus & vicariis episcoporum suffraganeorum nostrorum ac capitulorum ecclesiarum cathedralium nostræ prouinciæ qui voluerunt & potuerunt commode interesse, congregatis, pro animarum nostrorū subditorum salute sacro approbante Concilio cōstitutiones edimus subsequentes.

C API-